



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. V. An gratia sanctificans præstet formaliter esse filium Dei adoptivum,
eaque sola talem effectum præstare possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ut suprà dicebamus, cum peccato mortali stare potest: gratia verò habitualis, propter oppositas rationes, essentialiter dicitur sanctitatem, & ab ea inseparabilis est; unde & sanctificans appellatur, quia ejus effectus formalis est sanctificare animam: quare cum ex sanctitate magis quam ex dignitate, rerum perfectionem & excellentiam venari & metiri debeamus, dicendum est, gratiam habitualesse absolute perfectionem materitatem B. Virginis, licet ista secundum quid eam superet.

101. Inferes ultimum, gratiam sanctificantem esse perfectionem, secundum suam rationem specificam & essentialem, substantiā animæ rationalis, vel Angelis, & quilibet aliā substantiā creatā vel creabili: licet secundum modum essendi imperfectior sit; cum omnis substantia per se subsistat, & gratia, utpote accidens, subsistat in alio. Ita expresse docet S. Thomas varijs in locis. Nam quæst. 17. de verit. art. 1. ad 6. ait: *Potest dici quod gratia inquantum ens creatum non est nobilior animā Christi, sed inquantum est quadam similitudo divine bonitatis, expressior quā similitudo naturalis quæ est in animā Christi.* Et hic art. 2. ad 2. docet, quod licet gratia imperfectiori modo habeat esse in anima, quā anima habeat in se, tamen inquantum est expressio & participatio divinæ bonitatis, multo major quā substantia, est nobilior animā. Item 2. 2. quæst. 23. art. 3. asserit charitatem esse simpliciter perfectionem substantiā animæ: *Omne accidens (inquit) secundum suum esse est inferius substantiā, quia substantia est ens per se, accidens est in alio: sed secundum rationem suā speciei, accidens quidem quod causatur ex principijs subjecti est indignius subjecto, sicut effectus causa; accidens autem quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ, est dignius subjecto, inquantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphano; & hoc modo charitas est dignior animā, inquantum est participatio quadam Spiritus Sancti.* Si autem charitas sit perfectior animā, secundum suam speciem, a fortiori gratia sanctificans (quæ, ut suprà ostendimus, ipsam charitatem excedit) erit illā nobilior.

102. Ratio etiam quam D. Thomas insinuat, id efficaciter suadet: Nam major vel minor perfectio essentialis alicujus formæ, sumitur ex majori vel minori assimilatione ad Deum, & participatione perfectionum ipsius: Sed nulla substantia creata potest præstare tantam similitudinem & participationem Dei, quantam præstat gratia per seipsam, & per operationem sibi connaturalem, scilicet visionem beatam, de qua dicitur 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est:* Ergo nulla substantia creata gratiam sanctificantem in perfectione superat vel adæquat. Unde recte Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 6. *Dei Gratia non solum omnia sydera & omnes calos, verum etiam omnes Angelos supergreditur.*

103. Confirmatur: Ex perfectione operationis cognoscitur perfectio formæ, sicut ex fructu cognoscitur perfectio arboris; unde ex eo quod homo habet operationes perfectiores operationibus brutorum, nimirum discurrere & velle, à posteriori colligimus, animam rationalem esse in sua specie perfectionem & nobiliorem formis brutorum: Sed gratia sanctificans habet operationes simpliciter perfectiores operationibus proprijs & connaturalibus omnium substantia-

Tom. IV.

A rum creaturarum, & creabilium: Ergo est simpliciter perfectior omni substantiā creatā, & creabili. Minor probatur: Visio beatifica est propria & connaturalis operatio gratiæ, utpote quam connaturaliter exercet in statu beatitudinis, medio lumine gloriæ, tanquam propriā virtute: Sed hæc operatio excedit vires, proportionem, & facultatem naturalem cujuscunque substantiæ creatæ & creabilis, ut in Tractatu de visione beata demonstravimus: Ergo &c.

Ex his intelliges, quam pie ac eruditè locutus sit S. Thomas infra quæst. 113. art. 9. ad 2. cum dixit: *Bonum gratia unius, majus est quā bonum natura totius universi:* nam revera unicus gradus gratiæ sanctificantis, majoris est valoris & pretij, quā bona omnia naturalia totius universi. Quare in sacris litteris illa præfertur omnibus rebus creatis: Job. 28. *Nescit homo pretium ejus, non dabitur aurum obrisum pro ea.* Sapient. 7. *Melior est possessio ejus auro & argento electo.* Sapient. 7. *Præposui illam regnis & sedibus, & divitiis nihil esse duxi in comparatione illius &c.* Unde Cajetanus in commentario illius articuli, aurea illa S. Doctoris verba expendens, subdit: *Ante oculos tuos semper die nocteque tene, quod bonum gratia unius, est melius quā bonum natura totius universi, ut continē videas damnationem imminentem non estimanti tantum bonum oblatum.* Quibus verbis prudenter nos admonet piissimus ille ac doctissimus Cardinalis, quantā diligentia & sollicitudine satagere debeamus, ut gratiam perditam recuperemus, recuperatam conservemus, & conservatam, per actus ferventiores augeamus, donec per lumen gloriæ, & claram Dei visionem, atque amorem beatificum, perficiatur & consummetur in patria.

ARTICVLVS V.

An gratia sanctificans præstet formaliter esse filium Dei adoptivum, eaque sola talem effectum præstare possit?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

105. PRO resolutione hujus difficultatis tria recolenda sunt, quæ articulo præcedenti insinuavimus. In primis notandum est, quod adoptio solet communiter definiri à Theologis & Jurisperitis: *Gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hereditatem.* Juxta quam definitionem, ut quis adoptetur in filium, requiritur. primo quod persona extranea sit; hoc est, quod ex se & ratione sui non habeat jus filij ad hereditatem ad quam adoptatur: secundo, quod assumptio sit gratuita, hoc est alijs titulis non debita. Alia conditio superaddi solet, mutuus scilicet adoptantis & adoptati consensus, si adoptatus sit sui juris; si verò sui juris non sit, exigitur consensus Tutoris. Quod autem adoptatus non accipiat esse ab adoptante, & quod adoptio in solatium adoptantis fiat, ac denique quod adoptatus non succedat in hereditate usque ad mortem adoptantis, non sunt de essentia adoptionis, sed adoptioni humanæ & civili competunt, propter ejus imperfectionem.

Secundo supponendum est ut certum, & indubitata fide tenendum, Deum homines in filios adoptare, ut constat ex Paulo ad Roman. 8. *Ad-*

N ij

cepistis spiritum adoptionis: ad Galatas 4. *Vi* adoptionem filiorum reciperemus; ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*, & alibi passim. Ratio etiam id suadet: Adoptio enim, ut diximus, est gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hereditatem: Sed Deus gratuito & liberaliter creaturam rationalem assumit, seu elevat ad beatitudinem; in qua Dei hereditas consistit, & ad quam ex sua natura nullum habet jus, subindeque ad eam ut persona extranea comparatur: Ergo Deus homines adoptat in filios. Unde Chrysologus serm. 70. hæc verba orationis dominicæ, *Pater noster qui es in cælis*, expendens, sic ait: *Servus dominum Patrem vocare audeat, iudicem suum reus nuncupat genitorem: conditio terrena suâ se voce adoptat in filium; qui terrena perdidit, æstimat se Divinitatis heredem. Sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est iubentis: ipse enim nos hodie dicere sic voluit, qui nos docuit sic orare. Et quid mirum; si homines Dei consecravit in filios, quando se hominis dedit & aptavit in filium? Carnis tunc naturam transfudit in divinam, Deitatem quando humanam detulit ad naturam; tunc hominem sibi in cælestibus præstitit cohæredem, quando se participem reddidit terrenorum. Et serm. 10. Audivimus fratres, quod nos tulit divina dignatio, quod paternitas extulit nos superna: credamus nos Dei filios, respondeamus generi, vivamus cælo, patrem similitudine referamus, ne perdamus vitis quod sumus per gratiam consecuti. Similia scribit Cyprianus in lib. de spectac. ubi etiam mirum in modum hanc filij Dei adoptivi dignitatem extollit, Christianos adhortans, ut tales se exhibeant in moribus, quales filios Dei decet: Nunquam humana opera mirabitur (inquit) quisquis se cognoverit filium Dei. Dejicit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest. Cum ergo te sollicitat caro ad turpia, responde filius Dei sum; ad majora natus sum, quam ut me ventris mancipium efficiam. Cum te mundus tentat, responde, filius Dei ego sum, cælestibus opibus destinatus; indignum est ut terre punctum confecter. Cum te demon invadit, cum honores promittit, responde, Dei filius sum, regno æterno natus, vade retro Sathana. Noli ergo degenerare à præcelsis filiorum Dei cogitationibus: Agnosce (addit Leo Papa) dignitatem tuam, & divina consors factus nature, noli in pristinam vililitatem degeneri conversatione redire.*

107. Tertiò advertendum est, quod sicut filiatio naturalis dupliciter sumi potest, nempe formaliter, & fundamentaliter; & in prima acceptione à relatione prædicamentali præstat; in secunda verò, à generatione passiva, seu à natura ut per generationem accepta: ita filiatio adoptiva hac duplici acceptione gaudet: unde si sumatur formaliter, in relatione consistit; si verò fundamentaliter, supponit pro fundamento ad quod relatio consequitur: & de tali fundamento in præfati disputamus, & inquirimus quænam sit forma illud formaliter præstans, seu in ratione fundamenti prædictæ relationis formaliter constituens.

108. In cuius difficultatis resolutione variè opinantur Authores: quidam existimant Divinitatem Spiritus Sancti, iustis extrinsecè unitam, seu animæ iustorum intimè præsentem, mediâ gratiâ habituali, esse formam, quæ præstat formaliter esse filium Dei adoptivum, concurrente gratiâ sanctificante solum ut vinculo. Ita Lessius lib.

A 2. de summo bono cap. 2. Alij asserunt charitatem habitualement esse formam quæ talem effectum præstat, & quæ fundamentum proximum filiationis adoptivæ Dei formaliter constituit. Sic docet Aureolus in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Nominale verò, cum Scoto & Durando, tenent filiationem adoptivam præstari quidem à gratia sanctificante, non tamen ratione suæ entitatis & perfectionis, sed ex lege & pacto Dei, quia nempe Deus qualitatem illam supernaturalem, de se ad talem effectum insufficientem & improporcionatam, deputavit ac destinavit ad illum præstandum, & per talem deputationem, valorem ei sufficientem contulit; sicut moneta regio sigillo signata, certum valorem & æstimationem habet, quam ex se non obtinebat. Denique Suarez lib. 7. de gratia cap. 3. docet quidem gratiam habitualement, ratione suæ entitatis, nullo Dei extrinsecò favore expectato, filiationem adoptivam causare, seu fundare; sed addit cap. 3. num. 16. de potentia absoluta talem effectum posse ab alia forma præstari, vel hominem posse filium Dei adoptivum per solam extrinsecam denominationem, sine ullo habitu, vel qualitate intrinsecâ, constitui; quia Deus potest illum solâ suâ voluntate ad gloriæ cælestis hereditatem acceptare, seu destinare.

§. II.

Vera sententia sequentibus conclusionibus declaratur & statuitur.

Dico primò: Divinitas Spiritus Sancti, extrinsecè nobis unita, seu assistens, non præstat per modum formæ filiationem Dei adoptivam.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Forma quæ quis regeneratur in filium Dei, seu quæ terminat formaliter spiritualem generationem, causat formaliter fundamentum filiationis adoptivæ: Sed Divinitas Spiritus Sancti nobis extrinsecè unita, vel assistens, non est forma quæ quis regeneratur in filium Dei, seu quæ terminat formaliter spiritualem hominis generationem: Ergo non causat formaliter fundamentum filiationis adoptivæ. Major pater, quia de filiatione adoptiva, proportionem servatâ, philosophandum est, sicut de naturali: Sed in naturalibus illud quod terminat formaliter generationem, causat formaliter fundamentum filiationis naturalis: Ergo pariter fundamentum filiationis adoptivæ causatur formaliter à forma, quæ est terminus formalis spiritualis generationis. Minor verò suadetur primò ex D. Thoma hic art. 3. in corp. ubi explicans de gratia habituali illud 1. Petri 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divina consortes nature*, subdit: *Et secundum acceptionem huiusmodi nature, dicimur regenerari in filios Dei*: Ergo ex D. Thoma, forma quæ quis regeneratur spiritualiter in filium Dei, seu quæ est terminus formalis spiritualis generationis, est ipsa gratia habitualis, non verò Divinitas Spiritus Sancti, extrinsecè nobis unita seu assistens.

Secundò probatur eadem Minor ratione: Forma terminans spiritualem generationem est quæ terminus genitus spiritualiter vivit; sicut forma dans vitam formaliter termino naturalis generationis, illam formaliter terminat: Sed Divinitas Spiritus Sancti, nobis extrinsecè unita, non est principium quovivendi spiritualiter: Ergo nec formalis

terminus spiritualis generationis. Major est evidens: Minor ostenditur primò ex D. Thoma 2.2. quæst. 23. art. 2. ad 2. ubi ait: *Deus est vita effectiva, & anima per charitatem, & corporis per animam: sed formaliter charitas est vita anime, sicut & anima corporis*: Ergo ex D. Thoma Divinitas Spiritus Sancti, nobis extrinsecè unita, nequit esse principium quo formale vivendi spiritualiter. Ratio etiam id suadet: Nam forma, quæ est principium quo formale vivendi, debet per identitatem, aut per physicam informationem, accipienti vitam uniri: At Divinitas Spiritus Sancti nullo ex his modis nobis uniri potest, cum uterque modus unionis imperfectionem importet: Ergo nequit esse principium quo formale vivendi spiritualiter.

III. Potest insuper probari conclusio aliâ ratione: Eadem forma quæ dat esse filium Dei adoptivum, hominem justificat, ut constat ex Tridentino sess. 6. cap. 4. ubi ait quod *nostra justificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Ade, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei*: Sed Divinitas Spiritus Sancti, nobis extrinsecè unita, non justificat nos formaliter, ut colligitur ex eodem Tridentino ibidem cap. 7. dicente: *Denique unica formalis causa* (nostræ justificationis) *est iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit*; iustitia autem quâ Deus est iustus, est ipsa Divinitas: Ergo juxta doctrinam Tridentini Divinitas Spiritus Sancti, nobis extrinsecè unita, non est forma, quæ dat esse filium Dei adoptivum. Unde hæc sententia Lessij non videtur in fide tuta, nec Tridentini doctrinæ consentanea.

Dico secundò: Habitus charitatis non est forma quæ filium Dei adoptivum constituit, sed gratia habitualis.

III. Probat: Illa forma tribuit formaliter esse filium Dei adoptivum, quæ formaliter terminat spirituales hominis generationem: At forma terminans formaliter spirituales hominis generationem, non est habitus charitatis, sed ipsa gratia habitualis: Ergo habitus charitatis non est forma quæ filium Dei adoptivum constituit, sed gratia habitualis. Major patet ex similitudine seu analogia quæ reperitur inter generationem spiritualem & naturalem. Minor verò sic ostenditur. Licet homo genitus naturali generatione recipiat simul cum natura proprietates, tamen non terminat formaliter naturalem generationem per proprietates, sed per naturam humanam, quæ est radix illarum: Ergo similiter licet iustus, genitus à Deo spirituali generatione, naturam supernaturalem & illius proprietates recipiat, non terminat tamen spiritualem generationem formaliter ratione proprietatum, sed ratione naturæ ordinis supernaturalis: At gratia habitualis est in ordine supernaturali natura, charitas verò est illius proprietates, ut articulo sequenti patebit: Ergo homo non terminat spiritualem generationem ratione habitus charitatis, sed ratione gratiæ habitualis, quæ est radix illius.

III. Confirmatur: Terminus formalis spiritualis generationis est ille quo genitus vivit spiritualiter radicaliter, seu qui est radix vitæ spiritualis; sicut terminus formalis generationis naturalis est ille quo genitus vivit naturaliter radicaliter, seu qui est radix vitæ naturalis: Sed gratia habitualis dat vitam radicaliter in ordine spirituali, seu supernaturali, non verò habitus charitatis, ut patet: Ergo gratia sanctificans, non verò charitatis habi-

Tom. IV.

A tus, est terminus formalis generationis spiritualis.

Confirmatur ampliùs: Terminus formalis spiritualis generationis est ille ratione cuius homo fit particeps naturæ divinæ, Deoque assimilatur, non in aliquo attributo, sed in natura divina; quod eadem paritate generationis naturalis probatur: Sed homo non fit particeps formaliter naturæ divinæ, nec Deo assimilatur in natura, per habitum charitatis, sed per gratiam habituales; cum sola gratia habitualis sit participatio formalis naturæ divinæ, sub conceptu naturæ; habitus verò charitatis sit participatio divinæ voluntatis, quæ est illius attributum: Ergo idem quod prius.

Dico tertio: Gratia habitualis seipsa adæquatè, nullo extrinsecò favore expectato, hominem constituit filium adoptivum Dei.

Hæc conclusio patet ex fundamentis jam statutis: Nam per illam formam homo adæquatè filius Dei adoptivus constituitur, per quam constituitur spiritualiter genitus: Sed per gratiam habituales, adæquatè, & secluso quocumque favore extrinsecò, homo constituitur spiritualiter genitus: Ergo & filius Dei adoptivus. Major constat, nam esse genitum spiritualiter, est fundamentum relationis filij adoptivi, sicut esse genitum naturaliter, est fundamentum relationis filij naturalis. Minor verò suadetur: Sicut enim homo constituitur naturaliter genitus, per receptionem naturæ convenientis specificè cum natura generantis, ita constituitur genitus spiritualiter, per receptionem naturæ convenientis analogicè cum natura Dei spiritualiter generantis: Sed gratia habitualis se solâ, secundum entitatem intrinsecam, absque ullo favore extrinsecò, est participatio analogica naturæ Dei, ut articulo præcedenti vidimus: Ergo per illam adæquatè, & secluso quocumque favore extrinsecò, homo constituitur spiritualiter genitus.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Accipiens naturam generantis secundum convenientiam univocam, ex vi hujus acceptionis, absque aliquo superaddito, constituitur filius naturalis: Ergo ex vi acceptionis naturæ divinæ, secundum convenientiam analogam, absque indigentia aliqujus superadditi, constituitur filius adoptivus: Sed gratia habitualis, ratione intrinsecæ entitatis, est participatio naturæ divinæ, secundum convenientiam analogam, subindeque illam accipiens est similis Deo analogicè in natura sub conceptu naturæ: Ergo ex vi acceptionis illius, absque ullo favore extrinsecò, homo constituitur spiritualiter genitus, filiusque Dei adoptivus.

Respondebis negando consequentiam & paritatem: nam acceptioni naturæ humanæ per naturalem generationem est annexum jus naturale ad hereditatem patris, secus autem acceptioni naturæ divinæ per spiritualem generationem, nisi accedat extrinseca acceptio ad gloriam: unde licet prima naturæ acceptio, absque ullo favore extrinsecò, filium naturalem constituat; secunda tamen non constituit filium Dei adoptivum, nisi accedat aliquis favor extrinsecus Dei, hominem acceptantis ad gloriæ hereditatem.

Sed contra: Naturæ proportionatæ ad aliquem finem debetur connaturaliter affectio illius: Sed gratia habitualis est natura proportionata cum visione clara Dei, quæ est hereditas illius: Ergo Dei hereditas illi debetur connaturaliter, & secluso extrinsecò Dei favore.

Confirmatur: Gratia habitualis, ratione entitatis intrinsecæ, constituit hominem Deo gratum, & objectum congruum divinæ dilectionis simpli-

N. iiij

citer: Ergo illum reddit dignum, cui Deus velit bonum simpliciter tale, quod est visio clara ipsius, & consequenter dat jus connaturaliter ad hereditatem Dei.

Confirmatur amplius: Lumen gloriæ, per modum principij proximi dat jus connaturaliter ad visionem beatificam: Ergo gratia habitualis, à qua lumen gloriæ emanat tanquam proprietas, dabit idem jus connaturaliter, per modum radicis, & principij remoti & radicalis.

119. Dico ultimò: Implicat contradictionem esse filium Dei adoptivum, sine gratia habituali.

Probat: Ad filiationem adoptivam Dei essentialiter exigitur convenientia saltem analogica cum Deo in natura, sub conceptu naturæ: Sed implicat creaturam convenire analogicè cum Deo in natura sub conceptu naturæ, sine gratia habituali: Ergo implicat contradictionem dari sine illa filiationem adoptivam Dei. Major patet ex suprà dictis: Minor probatur. Essentia gratiæ habitualis consistit in hoc quod est esse participationem formalem naturæ Dei sub conceptu naturæ, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo implicat creaturam sine illa convenire analogicè cum Deo in natura sub conceptu naturæ.

120. Confirmatur: Implicat hominem esse filium Dei adoptivum, nisi sit spiritualiter à Deo genitus, cum filiatio adoptiva in spirituali generatione fundetur: Sed repugnat illum esse spiritualiter genitum à Deo, sine gratia habituali: Ergo implicat sine illa esse filium Dei adoptivum. Minor probatur: Esse genitum spiritualiter, est procedere vivens vitæ spirituali à Deo vivente in similitudinem naturæ, ad quod necessarium est vivere radicaliter vitæ spirituali & divinæ: Sed implicat vivere vitæ spirituali & divinæ radicaliter, sine gratia habituali; cum illa sit radix operationum vitæ ordinis supernaturalis, nempe actus charitatis, & visionis intuitivæ Dei, aliorumque actuum supernaturalium: Ergo implicat hominem esse spiritualiter genitum à Deo, sine gratia habituali.

§. III.

Solvuntur objectiones.

121. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Forma quæ justus vivit in ordine supernaturali & divino, est quæ præstat formaliter esse filium Dei adoptivum: Sed homo justus vivit Spiritu Dei & ejus Divinitate: Ergo Divinitas Spiritus Sancti, justis unita per gratiam, præstat formaliter esse filium Dei adoptivum. Major constat ex suprà dictis. Minor probatur primò ex Scriptura, Joan. 6. *Spiritus est qui vivificat.* Ad Galat. 5. *si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* Item in Symbolo Concilij Nicæni dicitur: *Credo in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem.* Unde Sanctus Thomas 4. contra Gent. cap. 20. observat quod Spiritus Domini initio mundi dicitur ferri super aquas, non quasi ipse moveatur, sed quia primum est motionis & vitæ principium, & quia divino suo halitu & Spiritu omnia vivificat. In hujus rei confirmationem bellicissime notavit Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus, lib. 3. de divina historia, omnia spiritu vivificari: *Habent (inquit) Physici in animalibus suos spiritus: anhelitum in primis, tum corpuscula illa in corde, in hepate, in cerebro formata, spiritus videlicet naturales, vitales, & animales. Sunt & ipsis Grammaticis spiritus, quos quidem accentus dicimus, ob id quod syllabis ac-*

A *cinant, veluti earum tenores & toni: sanè ut littere vocales distinctionum, sic litterarum vocalium ipsi accentus videntur esse anime quedam, quod eorum sono acuto, vel gravi, voces ipse formantur, quasi vivant, vigeant, spirent, & loquantur. Hinc porro ad Musicam derivatio sit spirituum: intensiones enim & inflexiones, inclinationes & elevationes in tonis & cantibus, spiritus sunt, quibus animata musica tantam vim habet, ut possit amorem excitare, infundere gaudium, & timores pellere. Secundò probatur eadem Minor ratione. Divinitas Spiritus Sancti est vita quædam per essentiam & infinita: Ergo de se sufficiens est ad omnia vivificanda; & consequenter unita justis, medio dono accidentali gratiæ sanctificantis, illos seipsa vivificat; ita ut gratia concurrat solum per modum nexûs seu vinculi conjungentis, Divinitas verò Spiritus Sancti, per modum formæ, seu principij quo vivificantis.*

B Respondeo distinguendo Minorem: Justus vivit spiritu Dei, & ejus Divinitate, ut causâ efficiente, & movente ad actus vitales ordinis supernaturalis, concedo Minorem: ut formâ, & principium quo radicali vitæ supernaturalis, nego Minorem, & Consequentiam: nam (ut suprà declaravimus) id quod formaliter præstat esse filium Dei adoptivum, debet formaliter, & non solum effective, vitam supernaturalem causare, seu esse principium radicale talis vitæ; quod Spiritui Sancto competere nequit, cum forma quæ est principium quo radicale vivendi, debeat per identitatem, aut per physicam informationem accipienti vitam uniri, ut suprà diximus. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 2. sibi hoc argumentum objicit: *Deus est spiritualiter vita anima, sicut anima vita corporis, secundum illud Deuteronom. 30. Ipse est vita tua: Sed anima vivificat corpus per se ipsam: Ergo Deus vivificat animam per seipsum.* Cui sic respondet: *Ad secundum dicendum quod Deus est vita effective, & anima per charitatem, & corporis per animam; sed formaliter charitas est vita anima, sicut & anima corporis: unde per hoc potest concludi, quod sicut anima immediate unitur corpori, ita charitas anima. Ex quo patet responsio ad utramque probationem Minoris.*

C Ad primam enim desumptam ex Scripturæ testimoniis, dicendum est, Spiritum Sanctum dici vivificare effective, non formaliter, & justos spiritu Dei vivere, ambulare, & moveri, ut causâ efficiente, & impellente, non ut formâ informante, seu ut principio radicali quo vitæ spiritualis & supernaturalis; & in hoc sensu intelligenda esse prædicta Scripturæ & SS. Patrum testimonia.

D Ad secundam, concessio Antecedente, similiter distinguo Consequens: Ergo est de se sufficiens ad omnia vivificanda, formaliter, nego: efficienter, concedo. Ex quo solum sequitur justos vivere Divinitate Spiritus Sancti effective, non verò formaliter.

E Objicies secundò: Filius constituitur per communicationem naturæ ejusdem cum natura patris, specificè, vel numericè: Sed justus non possunt esse filij Dei adoptivi, per communicationem naturæ divinæ, secundum convenientiam specificam, cum natura divina sit immultiplicabilis numero: Ergo constituuntur filij per communicationem naturæ divinæ, secundum identitatem numericam, & consequenter ipsa formaliter Deitate.

Respondeo distinguendo Majorem: Filius naturalis, concedo Majorem: filius adoptivus, nego

Majorem. Et concessâ Minori, nego Consequen-
tiam: nam ad esse filij adoptivi sufficit, vel affe-
ctus extrinsecus, qualiter inter homines contin-
git; vel communicatio naturæ secundum conve-
nientiam analogam, qualiter contingit in Deo,
qui nobis suæ naturæ participationem communi-
cat mediâ gratiâ habituali, eaque mediante nos
filios suos adoptivos constituit. Unde Propheta
Regius Psal. 81. ubi dixit de iustis: *Ego dixi dis-*
cessio (id est consortes divinæ naturæ per gratiam)
continuò subiungit, & *filij Excelsi omnes*; ni-
mirum per filiationem adoptivam in gratia fun-
datam.

125. Obijcies tertio contra secundam conclusionem:
1. Joan. 3. dicitur. *Videte qualem charitatem dedit*
nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus: Er-
go ex Scriptura charitas est forma, quæ præstat
homini formaliter esse filium Dei adoptivum, non
verò gratia sanctificans.

126. Respondeo aliqua, quæ sunt effectus gratiæ
sanctificantis, attribui etiam charitati, ratione
mutuæ connexionis quam habent inter se, non ta-
men eodem modo, sed diverso; sicque filiatio-
nem Dei adoptivam attribui gratiæ habituali for-
maliter & per se primò, charitati autem conco-
mitanter & secundario, quia illa est proprietas,
quæ à gratia dimanat, & inseparabiliter ipsi con-
iungitur.

127. Obijcies quartò contra tertiam conclusionem:
Filiatio Dei adoptiva absque jure ad ejus hæredi-
tatem stare nequit: Sed tale jus exigit vel suppo-
nit promissionem Dei, seu ejus pactum & ordi-
nationem, gratiæ habituali superadditam: Ergò
gratia sanctificans ex vi propriæ entitatis & per-
fectionis, ac secluso omni favore extrinsecò ei
superaddito, non potest filiationem Dei adopti-
vam causare. Major patet ex definitione adoptio-
nis supra adducta: Minor verò suadetur. Non mi-
nor in operibus iustorum, gratiâ & charitate in-
formatis, invenitur proportio cum gloria, ut ha-
bet rationem mercedis, seu coronæ, quam repe-
tiatur in gratia sanctificante, ut subiectum infor-
mante, cum beatifica visione, ut habet rationem
hæreditatis: Sed non datur in operibus iustorum
jus ad gloriam ut mercedem seu coronam, absque
interventu promissionis vel ordinationis divinæ,
illorum entitati extrinsecò superaddita: Ergò nec
in gratia sanctificante salvarur jus ad beatificam
visionem, ut hæreditatem, absque promissione
vel ordinatione Dei.

128. Respondeo concessâ Majori, negando Mino-
rem. Ad cujus probationem, concessis præmissis,
neganda est consequentia & paritas. Ratio autem
discriminis est, quia jus meritum, quod in ope-
ribus iustorum gratiâ & charitate informatis in-
venitur, vel est fidelitatis, vel iustitiæ, vel grati-
tudinis; primam absque promissione stare non
potest; secundum verò & tertium nequeunt in
pura creatura, absque pacto Dei, operum digni-
tati superaddito, subsistere; quia cum iustorum
opera sint Deo multis titulis debita, ex vi propria,
& intrinsecò valore, non possunt Deum ex stricta
iustitia obligare ad illa remuneranda: jus autem
fundatum in gratia sanctificante respectu gloriæ
ut hæreditatis, cum non sit meritum, sed solius
connaturalitatis, ipsi competit absque interventu
promissionis, vel ordinationis divinæ; sicut Deus
jure connaturalitatis tenetur Angelo infundere
speciem, illius creatione suppositâ; concurrere ad
motum cæli, suppositâ illius existentia; & c. flu-
xum seu resultantiam passionum non impedire,

A supposito quod naturas producat.

Dices: Quod est debitum alicui jure connatura-
litas, seu debito exigentiæ physice, non potest
proponi ut præmium: v. g. proprietates natura-
les nequeunt ut præmium proponi, quia connat-
uraliter fluunt ab essentia, & sunt illi debita ti-
tulo connaturalitatis, seu debito exigentiæ phy-
sicæ: Sed prima gloria, respondens primæ gratiæ
ut hæreditas, potest in præmium proponi, imò sic
de facto eam promitti docet frequentior senten-
tia: Ergo non debetur gratiæ jure connaturalita-
tis, seu debito exigentiæ physice.

Confirmatur: Gloria ut hæreditas non debetur
gratiæ sanctificanti exigentiâ activâ, sicut proprie-
tates debentur essentia, quia non dimanat à gra-
tia per modum propriæ passionis; nec debito
connaturalitatis passivæ, qualiter debentur An-
gelo species infusæ à Deo, vel cælo motus circula-
ris: Ergo gloria nullo modo est debita gratiæ
jure connaturalitatis, seu debito exigentiæ phy-
sicæ, sed solum jure morali & meritorio.

Ad instantiam nego Majorem: Gloria enim
corporis debetur animæ Christi ex vi gloriæ ani-
mæ, jure connaturalitatis, & debito physico, &
tamen illam Christum meruisse docet D. Thomas
3. p. quæst. 19. art. 3. ad 3. Non ergo obstat debi-
tum physicum alicujus perfectionis, quominus
possit tanquam præmium proponi, ut pluribus ti-
tulis debeat. Passio autem simul cum natura
conveniens, ideo nequit esse præmium nisi meriti
causantis naturam, quia fit ex vi ejusdem actio-
nis; si verò passionis effluxus suspenderetur, pos-
set proprietas ut præmium operum naturæ pro-
poni: sicut de facto, quia effluxus gloriæ corpo-
ris ex gloria animæ in Christo suspensus fuit, ut
daretur locus passioni, terminavit Christi merita,
quæ tamen gloriam animæ non attigerunt.

Ad confirmationem dicendum gloriam ut hæ-
reditatem deberi gratiæ sanctificanti physica exi-
gentiâ activâ (sicut proprietates debentur essen-
tia) non ratione sui, sed ratione luminis gloriæ,
quod ipsi debetur connaturaliter, & quod, juxta
probabiliorem & communior sententiam, ab
ipsa dimanat tanquam proprietas; non ita quòd
ad gratiam in omni statu, sed solum ut est in sui
consummatione, seu in statu termini, sequatur.

Obijcies quinto: Potest Deus de potentia abso-
luta homini in gratia esistenti, & in illa perseve-
ranti, negare in perpetuum gloriam: Sed homo
sic exclusus à gloriæ consecutione, filius Dei ad-
optivus non esset: Ergo gratia habitualis, ratio-
ne solius suæ entitatis & perfectionis, non causat
filiationem Dei adoptivam, sed indiget aliquo
favore extrinsecò ei superaddito. Major videtur
certa, cum enim inter gloriam & gratiam habi-
tualem non sit connexio essentialis, potest Deus
de sua potentia absoluta homini in gratia existen-
ti, & in illa perseveranti usque ad mortem, glo-
riam in perpetuum denegare. Minor verò suade-
tur: Primò quia non stat filiatio adoptiva sine ac-
ceptione ad hæreditatem adoptantis: Sed in ca-
su posito homo existens in gratia habituali, non
esset acceptus ad hæreditatem Dei, consistentem
in visione beatifica, sed potius esset ab illa exclu-
sus: Ergo filius adoptivus non esset. Secundò pro-
batur eadem Minor: Sine jure ad hæreditatem ad-
optantis filiatio adoptiva non subsistit: Sed in ca-
su argumenti homo existens in gratia habituali
non haberet jus ad hæreditatem Dei, cum esset
ab illa exclusus per divinam voluntatem: Ergo fi-
lius adoptivus non esset.

134. Aliqui ex nostris Thomistis, ut ab hoc difficili argumento se expediant, negant absolute Majorem: existimant enim, quod licet Deus sit liber in infusione & conservatione gratiae sanctificantis, supposito tamen quod illam infuderit homini, & usque ad mortem ipsius illam conservaverit, necessitatur ad gloriam ei conferendam, ita ut nec de potentia absoluta illam ipsi denegare possit. Nam in operibus Dei (inquiunt) nihil potest esse frustra: gratia autem habitualis, cum sit quaedam inclinatio ad gloriam, & dispositio preparans ad illam, subindeque quaedam gloria inchoata, frustra in perpetuum duraret, si gloria in perpetuum negaretur. Ita expresse docet Capreolus in 1. dist. 17. ad 2. Gregorij.

135. Hæc tamen solutio displicet: Primò quia D. Thomas in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. ait: *Damnare Petrum, cui ex beneficio gratia sibi collata salus debetur, esset contrarium iustitiæ* (largè & improprie sumptæ) unde hoc Deus non potest, loquendo de potentia ordinata. Ergo aperte sentit, de potentia absoluta non repugnare quod Deus non salvet hominem in gratia & charitate existentem.

Secundò impugnatur hæc solutio: Gloria non est debita gratiæ, nisi titulo connaturalitatis activæ; sicut essentia debentur proprietates, ut antea declaravimus: Sed Deus de potentia absoluta potest impedire resultantiam proprietatum ab essentia: Ergo & hominem in gratia existentem, & in illa perseverantem, gloriâ in æternum privare.

Tertiò, Lumen gloriæ non est magis debitum gratiæ sanctificantis, quam virtutes infusæ, quæ ab ipsa emanant ut proprietates: At Deus de sua potentia absoluta potest gratiam sanctificantem in subiecto producere, sine illarum virtutum effluxu: Ergo potest etiam de absoluta potentia impedire effluxum seu resultantiam luminis gloriæ à gratia sanctificante, ut est in suo termino & statu connaturali.

Denique contra prædictam solutionem arguitur: Non magis gratia sanctificans disponit ad gloriam, quam gravitas disponat grave ut occupet centrum: Sed potest Deus de sua potentia absoluta grave extra centrum conservare, illudque loco sibi connaturaliter debito in perpetuum privare: Ergo licet gratia sanctificans sit dispositio ad gloriam, illamque connaturaliter exigit, potest Deus de potentia absoluta gratiam in perpetuum conservare sine gloria, subindeque gloriam homini existentem in gratia, & in illa perseveranti, in perpetuum denegare. Hæc ergo solutio rejicitur.

136. Ad argumentum respondeo, concessâ Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem, distinguo Majorem, non stat filiatio adoptiva sine acceptatione in re, vel in jure, concedo Majorem: sine acceptatione in re, nego Majorem: & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Licet enim in casu posito homo non maneret tamen acceptus ad gloriam in re, maneret tamen acceptus ad illam in jure, id est, haberet jus ut acceptaretur ad illam; & hoc sufficit ad rationem filij adoptivi, ut patet in adoptione humana & civili; si enim Joannes Petrum adoptaret in filium, & postea sine ulla causâ legitima ipsum excluderet ab hereditate, non propterea desineret esse filius adoptivus illius, quia jus ad illam ex vi præcedentis adoptionis haberet. Unde

Ad secundam probationem Minoris, concessâ

A Majori, neganda est Minor: licet enim homo esset exclusus à gloria actualiter obtinenda, non tamen esset privatus dignitate obtinendi gloriam, & jure connaturali ut acceptaretur ad illam; stat enim jus exigentiæ connaturalis sine actuali possessione termini talis juris, ut patet in casu quo Deus à natura producta suspenderet passionum resultantiam seu effluxum; tunc enim talis natura actu careret proprietatibus sibi debitis, non tamen caret jure & debito connaturali habendi illas.

Obijcies sextò contra ultimam conclusionem: Potest Deus de sua potentia absoluta velle homini efficaciter gloriam, absque voluntate efficaciter conferendi gratiam habitualement: Sed homo in tali casu esset filius adoptivus Dei: Ergo est possibilis de potentia absoluta filiatio adoptiva Dei sine gratia habituali. Major patet: Gloria enim non habet essentialem dependentiam à gratia habituali: Ergo potest Deus illam efficaciter velle, non volendo gratiam habitualement. Minor verò probatur ex definitione adoptionis: nam ut §. 1. primo loco annotavimus, adoptio est gratuita & liberalis assumptione personæ extraneæ ad alterius hereditatem: Sed voluntas illa Dei esset gratuita & liberalis, ut constat; & homo assumptus, persona extranea supponitur respectu hereditatis Dei, & ad illam ordinaretur: Ergo haberet quiddam requiritur ad rationem filij adoptivi, ex adoptionis definitione.

C Respondeo data Majori, negando Minorem. Ad probationem dico, quod quando adoptio definitur, *Gratuita & liberalis assumptio personæ extraneæ ad hereditatem*, hoc debet intelligi de assumptione communicante affectivè naturam, non verò de simplici assumptione ordinante ad hereditatem, ut constat in humanis & civilibus: nam potest unus alteri promittere hereditatem, absque eo quod ipsum adoptet in filium. Non sufficit ergo, etiam ad humanam & civilem adoptionem, qualibet ad hereditatem assumptio, sed necessario requiritur affectus communicandi naturam; alias omnes instituti heredes, essent instituti filij: unde cum in casu posito voluntas Dei, ordinans efficaciter hominem ad gloriam, non communicaret affectivè naturam divinam, affectu saltem efficaci (cum talis affectus sine gratia habituali secuta non possit subsistere) tali volitioni non conveniret definitio adoptionis, nec homini sic ordinato, vera ratio filij adoptivi competere.

Quod potest adhuc magis declarari & illustrari hoc discursu: Actio effectiva filij debet esse communicativa naturæ realiter, vel affectivè: primum constat in actione efficiente filium naturalem, quæ realiter naturam generantis communicat: secundum in filiatione adoptiva civili, quæ non salvatur in sola acceptatione unius ad hereditatem alterius, sed insuper requirit affectum communicandi naturam, si adoptanti esset possibile; quare explicatur per hæc verba: *utinam esset meus filius*: Ergo etiam adoptio divina petit ex parte Dei affectum efficacem communicandi suam naturam: unde cum implicet Deum velle efficaciter suam naturam communicare, nisi de facto illam communicet; & talis communicatio sine infusione gratiæ habitualis, quæ sola est divinæ naturæ participatio, stare nequeat; implicat Deum aliquem adoptare in filium, nisi ei simul infundat gratiam sanctificantem. Quare si de potentia absoluta velle homini efficaciter gloriam, absque voluntate efficaci conferendi gratiam habitualement, talis homo filius Dei adoptivus non esset.

Dices

140. Dices primò: Ad adoptionem sufficit voluntas inefficax & conditionata communicandi naturam adoptato, ut patet in adoptione humana & civili: Ergo licet Deus non haberet voluntatem absolutam & efficacem conferendi tali homini gratiam sanctificantem, ille tamen filius ejus adoptivus esse posset.

Respondeo Antecedens esse verum de adoptione humana, sed non de divina: Ratio autem discriminis est, quia in adoptione humana supponitur in persona adoptanda natura ejusdem speciei, & proportionata cum hereditate adoptantis, subindeque facultas ad talem hereditatem percipiendam: secus autem in adoptione divina. Unde D. Thomas 3. p. quæst. 23. art. 1. in calce corporis articuli, sic ait: *Hoc autem plus habet adoptio divina quam humana, quia Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratia munus ad hereditatem celestem percipiendam; homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum jam idoneum eligit adoptando.*

141. Addo quod in homine adoptante non est facultas communicandi adoptato naturam, nec secundum convenientiam univocam, nec secundum participationem analogam; & ideo non requiritur quod aliquo ex his modis suam effective communicet naturam, sed sufficit affectus conditionatus & inefficax illam communicandi: in Deo autem invenitur vis communicandi suam naturam creaturæ rationali, secundum participationem analogam, ideoque ut aliquem adoptet in filium, non sufficit conditionatus affectus, sed requiritur volitio efficax & absoluta communicandi naturam: filiationi enim adoptiva Dei est imitatio filiationis ejus naturalis, summa intra limites adoptionis; non salvatur autem summa imitatio possibilis filiationi naturalis Dei, sine participatione analogâ naturæ divinæ, cum hæc possibilis sit.

142. Dices secundò: Deus posset illum hominem, cui gratiam sanctificantem denegaret, de facto beatificare, sine gratia habituali: At in tali casu esset filius adoptivus: Ergo est possibilis, de potentia absoluta, filiationi Dei adoptiva, sine gratia habituali. Major patet: nam, ut supra dicebamus, visio beatifica non dependet essentialiter à gratia habituali. Minor verò suadetur: Forma præbens jus ad divinam hereditatem, filium Dei adoptivum constituit: Ergo à fortiori ipse hereditatis divinæ possessio, quæ est ipsa visio beatifica, filium Dei adoptivum constituere poterit.

Respondeo datâ Majori, negando Minorem. Ad cujus probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: & insto in filiatione adoptiva civili, quam non præstat ipse hereditatis possessio, sed forma quæ præbet jus ad hereditatem. Ratio autem in præsentem est, quia sola forma participans naturam divinam, potest esse terminus formalis spiritualis generationis, quæ est fundamentum filiationis Dei adoptivæ, ut supra declaravimus: visio autem beatifica, quæ est possessio divinæ hereditatis, non participat naturam divinam sub conceptu naturæ, quia licet participet divinum intelligere (per quod, in nostra sententia, natura divina constituitur) tamen non participat illud, quatenus est eminenti quodam modo radix divinorum attributorum, sed ut habet rationem operationis vitalis, & actûs secundi; unde talis visio est quidem participatio beatitudinis increatæ, non tamen naturæ divinæ, formaliter quâ talis est, ut art. præcedenti §. 2. in resp. ad ultimam objectionem declaravimus.

Tom. IV.

§. IV.

Corollaria notatu digna.

EX dictis inferes primò, adoptare creaturam rationalem in filium, non esse proprium alicui ex Personis Divinis, sed commune tribus, ut docet D. Thomas 3. p. quæst. 23. art. 2. Nam Deus adoptat creaturam rationalem in filium, quatenus infundit gratiam spiritualiter generativam: actio autem infusiva gratiæ, cum sit operatio libera, & ad extra, est communis toti Trinitati: Ergo & adoptatio creaturæ rationalis. Observat tamen D. Thomas ibidem in resp. ad 3. quod quia filiationi adoptiva est quædam similitudo filiationis naturalis, per appropriationem filio ut exemplari tribuitur: & quia in humanis solius patris est adoptare, adoptio Patri æterno ut Authori appropriatur. Item quia eadem adoptio fit per gratiam, quæ est opus divini amoris, appropriative tribuitur Spiritui Sancto, ut infundenti gratiam, per quam adoptamur, & assimilamur Deo; unde ad Roman. 8. dicitur: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater.*

Inferes secundò cum eodem S. Doctore ibidem art. 3. solam creaturam rationalem capacem esse adoptionis: tum quia illa sola est capax gratiæ habitualis, quæ est radix cognitionis & amoris supernaturalis: tum etiam quia illa sola potest elevari ad visionem beatificam, quæ est Dei hereditas. Ex quo

Inferes tertio, non solum homines, sed etiam Angelos in gratia existentes, esse filios adoptivos Dei: cum etiam illi sint capaces divinæ hereditatis, & ab illa extranei, utpote ratione propriæ naturæ non habentes jus ad illam.

Inferes quartò, prædestinatum existentem in peccato mortali, pro tempore quo est in illo, non esse filium adoptivum Dei, cum careat gratiâ sanctificante, quæ est formalis terminus spiritualis generationis, subindeque fundamentum proximum filiationis adoptivæ. Nec obstat quod ille sit membrum Christi, ut docent Theologi in Tractatu de Incarnatione: quia ad rationem membri sufficit etiam vita imperfecta, manus enim arida dicitur membrum, quia habet vitam vegetativam, quanquam hæc sit vita imperfecta ad rationem autem filij requiritur vita perfecta, ejusdem ordinis & naturæ cum vita generantis, vel adoptantis.

Inferes quintò, reprobam existentem in gratia esse filium Dei adoptivum: gratia enim sanctificans tribuit reprobo participationem naturæ divinæ, ejusdem rationis cum ea quam habet prædestinatus justus: Atqui per hujusmodi participationem justus nascitur ex Deo, & ipsa gratiæ infusio est spiritualis generatio, ut supra diximus: Ergo reprobis eam habens, verè natus est ex Deo, & filius ejus.

Inferes sextò, Patres veteris testamenti, in gratia & charitate existentes, verè fuisse filios Dei adoptivos; quamvis non fuerint in statu filiorum: Prima pars patet ex supra dictis: nam veteres Patres in charitate existentes, verè fuerunt justificati, justificatione ejusdem rationis cum nostra: At justificatio, ex Tridentino supra citato, est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum: Ergo Patres antiqui, per gratiam justificati, verè fuerunt filij Dei adoptivi.

Secunda verò pars ex eo constat, quod Patres veteris testamenti ducebantur spiritu timoris,

O

quare in sacris litteris appellantur servi, & spiritum servitutis habere dicuntur, ut patet ad Galat. 4. & ad Roman. 8. & alibi sæpe: item illis non patebat aditus ad hereditatem cœlestem, sicut iustis novæ legis. Quare tres gradus filiationis adoptivæ distingui possunt: primus & imperfectissimus est iustorum ad veterem legem pertinentium: secundus est iustorum ad legem novam spectantium, qui alio perfectior est: tertius, & omnium perfectissimus, est beatorum videntium Deum, qui non solum habent jus ad Dei hereditatem, sed etiam illam actu possident, Deoque per beatificam visionem perfectissime assimilantur. De hac adoptione loquitur Apostolus ad Roman. 8. qm̄ ait: *Nos ipsi primitias spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes*, id est filiationem gloriæ, quæ excedit statum adoptionis viæ; sicut status adoptionis iustorum novæ legis, præstantior est statu adoptionis patrum veteris testamenti. Unde sicut ob hunc excessum D. Paulus ad Galat. 4. statum antiquæ legis comparat parvulo, sub actoribus & tutoribus constituto; ita 1. ad Corinth. 13. loquens de statu præsentis vitæ, comparative ad statum gloriæ, eadem utitur similitudine, dicens: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus &c.* Sicut enim status veteris legis, propter imperfectam cognitionem, est sicut parvulus, in comparatione ad statum gratiæ & veritatis, quæ per Christum facta est: sic status præsentis vitæ, in qua videmus per speculum & in ænigmate, est sicut parvulus, comparative ad statum vitæ futuræ, in qua est perfecta cognitio Dei.

149. Inferes ultimò, relationem filiationis adoptivæ Dei esse realem: Nam sequitur ad realem generationem, per quam rationalis creatura accipit gratiam habitualement, illi intrinsicè inhaerentem: Relatio autem habens reale fundamentum intrinsicum, non est rationis, sed realis.

Confirmatur: Ideò filiatio adoptiva inter homines est relatio rationis, quia sequitur ad extrinsecam acceptionem unius hominis ab alio ad ejus hereditatem, quæ acceptatio nihil reale intrinsicum infert in subiecto adoptato: Sed filiatio adoptiva Dei non sequitur immediatè ad extrinsecam acceptionem, sed ad formam realem intrinsicam, nimirum gratiam habitualement, ut ex suprâ dictis patet: Ergo est relatio realis.

ARTICVLVS VI.

Utrum gratia habitualis realiter distinguatur à charitate?

150. **N**Egant Scotus, Durandus, Gandavensis, & alij ex antiquis Theologis, contententes idem esse gratiam & charitatem secundum rem, solumque formaliter & ratione ratiocinata distingui, ita ut idem habitus dicatur gratia, quatenus gratis datur, aut gratum facit; charitas verò, prout est principium diligendi Deum. Hos ex Recentioribus sequuntur Vega lib. 7. in Trident. cap. 26. & 27. Bellarminus lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 7. & Egidius Coninx de actibus supern. disp. 21. dubio 7. Sententia tamen affirmans communior est inter Theologos, eamque docet expressè S. Thomas hic art. 3. omnesque eius Discipuli. Vnde sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, gratiam distingui realiter à charitate.

151. Probatum primò ex Scriptura, quæ de gratia & charitate, ut de duobus inter se distinctis loquitur: nam 2. ad Corinth. 13. dicitur, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei*. Ex 1. ad Timoth. 1. *superabundavit gratia Domini nostri Iesu Christi, cum fide, & dilectione*. Quibus verbis gratiam à charitate, sicut à fide distingui insinuat: Sed gratia realiter à fide distinguitur, cum fides remaneat in peccatoribus, in quibus tamen constat gratiam Dei non esse: Ergo & à charitate.

152. Confirmatur: Ex sacris litteris constat gratiam præcedere charitatem, & prius naturā infundi: Ergo & realiter ab illa distingui. Consequentia patet. Antecedens probatur ex illo ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: ubi diffusio charitatis attribuitur Spiritui Sancto jam dato: Sed datur per gratiam habitualement: Ergo prius naturā infunditur gratia in anima, quam charitas in corde per Spiritum Sanctum diffundatur. Hac ratione utitur S. Thomas qu. 27. de verit. art. 2. argum. 2. *sed contra*.

153. **C**onfirmatur ampliùs: Prius est animam diligere à Deo, quam eundem diligere, juxta illud 1. Ioan. 1. *ipse prior dilexit nos*: Atqui gratia est obiectum dilectionis, quā Deus nos in ordine supernaturali perfecte diligit; nam, ut suprâ art. 1. ostendimus, amor Dei format obiectum suum, reddendo illud amabile per infusionem gratiæ, quæ est animæ pulchritudo, & maximum eius ornamentum; charitas verò est principium quo nos Deum ipsum diligimus: Ergo gratia prior est charitate, subindeque realiter ab illa distinguitur.

154. Probatum secundò ratione: In naturalibus quod dat esse simpliciter, distinguitur realiter ab eo quod dat tantum esse operativum; essentia quippe seu natura à qua dependet esse, distinguitur realiter à suis potentijs, quæ sunt principium immediatum operandi; solius enim Dei est operari per essentiam, & non per instrumentum aut potentiam à se distinctam: unde D. Thomas 1. p. quæst. 54. art. 3. asserit potentiam intellectivam Angeli non esse eius essentiam; & nostri Thomistæ in Philosophia docent nullam posse dari substantiam creatam, quæ sit immediatè operativa: Atqui de rebus supernaturalibus, servatâ proportionem, ac demptâ earum supernaturalitate, philosophandum est sicut de naturalibus; gratia enim, quantum fieri potest, naturæ accommodatur & accommodatur, ut passim docent Theologi: Igitur gratia habitualis, quæ dat esse supernaturale animæ, distinguitur realiter à charitate, quæ tantum confert esse operativum, seu esse principium proximum & immediatum operandi, ac diligendi Deum super omnia.

155. Respondet Durandus, quod licet virtutes & potentie naturales quæ dant esse operativum, distinguantur realiter à natura quæ dat esse simpliciter, quia hæc est substantia, ac proinde non est immediatè operativa; habitus tamen charitatis identificatur realiter cum gratia sanctificante, quia cum hæc sit accedens, potest esse immediatè per seipsam operativa, simulque elevare animam ad esse supernaturale, & divinæ naturæ participationem.